



Q. D. B. V.
INGENS ET HORRENDUM
INCENDIUM
GORLICENSE,

QUO
ÆDES PROPE DUCENTÆ,
UNA CUM
SPLENDIDISSIMA

D. PETRI ET PAULI ÆDE,

ANNO clc lcc XCI D. XIX MARTII,
ABSUMPTÆ, INQUE FAVILLAS, CINE-
RES, AC RUDERA SUNT DATÆ,

SUB
MODERAMINE

CHRISTIANI Funccii,

GYMNASII GORL. RECT.

IN

PANEGYRI GREGORIANA

EJUSD. ANNI,

POSTRIDIE CALEND. MAJI,

LUGUBRI CARMINE,

SER Æ. POSTERITATI,

SI QVÆ FUTURA SIT,

CANIT

GODOFREDUS NEUMANNUS,

GORL. LUS.



GORLICI LITERIS ZIPPERIANIS.



VENERANDIS
AMPLISSIMI ORDINIS
GORLICENSIS
PATRIBUS,
PATRIBUS PATRIÆ CONSCRIPTIS,
Viris
Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, Consul-
tissimis, Prudentissimis,
DOMINIS
CONSULIBUS,
PRÆTORI,
SYNDICO,
SCABINIS,
SENATORIBUS,
Patronis, Fautoribus, Promotoribus,
omni honoris cultu atque observantiæ genere ex-
cipiendis,
SPECIMEN HOC POETICUM

D. D. D.
GODOFREDUS NEUMANNUS.



Um subit infausti facies tristissima Secli,
Et repeto tempus: quô nos quàm plurima
terrent,
Plurima circumstant miserôs mala, cuncta-
que clades
Horrendas nobis variosque minantur ago-
nes:

Tunc ego distineor gemitu: tunc squalida prorsus
Largiter effusis mea rorant imbribus ora;
Et qualis rapitur per valles improbus amnis,
Cum gelidæ periére nives, & langvidus Auster.
Non patitur glaciem resolutis vivere terris:
Gurgite sic pleno facies mihi manat, & edo
Ingentes gemitus, altô de corde petitos.
Nam miscere parat Cœlum Terrasque tumultu,
Urbes ac gentes, maria atque mapalia diræ
Alectûs suboles vultu illætabili Enyo,
Cocyti ex tenebris superas emissa sub auras;
Et quaquâ vertas oculos, immitis Erinnyes
Jurgia & insanæ spargit fera semina litis.
Est, ubi & in Patriam & sociorum viscera ferrum
Degenerum convertat agon, Bellonaque pugnam.
Heu! Gallus passim fremit horridus ore cruento,
Perfidus, ac duris genuit quem cautibus horrens
Caucasus, antiquas & bellô territat urbes,

Littoraque, & latos populos, uberrima regna
Inprimis omnes irarum effundit habenas
Ad Nicrum & Rhenum, & quâ Hispani Belgica fines
Porrigit, & Gentis Princeps generose Sabaudæ,
Celso in queis terris moderaris publica nutu.
Non secus, ac, paleis ubi separat area fruges,
Triturante leves bove conculcantur aristæ:
Sic, quacunque ruit, conferta per agmina strages
Ingentes edit, captivaque corpora ducit,
Corpora nodosis loris & vineta catenis.
Illinc insolitô motu tremefacta vacillat,
Tellus: hinc ædes rabies Vulcania & urbes
Corripit egregias: queis actum nuper acerbis
Eheu! GORLICIUM fatis, dulcissima tellus:
In quâ nos olim vitales hausimus auras.
O duros casus! O lamentabile fatum!
Quare si nostros lubeat cognoscere casus,
GORLICII ac paucis fatalem audire laborem;
(Quamquam animus memorâsse horret, luctuque refugit;)
Hinc canere incipiam, quæque ipse miserrima vidi,
Expeditam tenui versu: dum florida pubes,
Quam juvat Aonios latices dulcesque liquores
Imbibere, & virides Musarum visere saltus,
GREGORIO solitum de more instaurat honorem.
Tu, Pater Omnipotens, rerum cui summa potestas,
Quô sine nîl altum mens inchoat, annue cœptis!
Sis bonus, inceptumque unâ decurre laborem!

Nona dies post bis quinas, à nomine Martis
Indomiti quæ dicta, aderat, carbone notanda
Atrô, infausta dies, cunctum memoranda per ævum:
Quâ, postquam rutilans medium superaverat axem
Cynthius, & ternam scandendo ostenderat umbram,

Ex

Ex improvîso variô certamine celsas
Per turrez fremitum horrendum campana sonosque
Terrificos edit, signum ferale. Repentè
Exoritur clamor: quin vox horrenda per Urbem
Fertur: Proh! Cives, Ignes! Incendia! Sævitur
Vulcani rabies! Flammis immitibus ardet,
Proximus Ucalegon! Ignes! Incendia, Cives!
Obstupuere animis cuncti, vocemque sequuntur,
Effusi nimbo similes, auditaque cernunt
Ipsi oculis. Quærit non magnô tempore vires
Ignis, & immissis sævit Vulcanus habenis.
Scilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur: exsuperant flammæ: furit æstus ad auras,
Attollitque globos flammaram, & sidera lambit:
Ut, quando atra vadis Phlegethon incendia miscet,
Flammivomasque ardens Acheron eiectat arenas.
Quid miseri Cives? Concurrunt undique densô
Agmine, flammaram prompti compefcere vires.
Pars scalas poscit, pars undas, parsque secures
Poscit: queis domuum fastigia destruat alta:
Ut ne flamma vorax vires acquirat eundo.
Nec tamen idcirco flammæ atque incendia vires
Indomitas posuere, infusa aut flumina profunt.
Ignis enim victor per summa cacumina regnat,
Pars implet clamore vias: pars pectore questus
Edidit, ac tales effudit ad Æthera voces:
Omnipotens Numen, rutili quod sidera Cœli,
Quod flammam fulmenque domas, si flecteris ullis,
Alme Parens, precibus: tantos miserare labores:
Infandos prohibe à nostris penetralibus ignes!
Parce tuo generi: propius res aspice nostras!
O Superi, servate meos, servate nepotes,

A 3

Et

Et prohibete minas, flammæque avertite pestem!
Sic ait: infensum fed Numen respuit aure,
Indignante preces. Furit implacabilis ira,
Vulcani, & plures devastat funditus ædes:
Non secus ac stipulas Riphæis actus ab Euris:
Cum flammis Auster sævit ferus, inque patienti
Omnia consumit, miscetque incendia, campo.
Hic ego quas vidi clades, quam dira Meorum
Damna, tot impensis structas ingentibus ædes,
Congestas tot perdere opes, ipsosque Parentis
Vulcanô dominante, & Avi flagrare penates!
Sic flammæ rabies, infaustis excita fatis,
Egregiam sine more furit lymphata per Urbem:
Ceum quondam tortô volitans sub verbere turbo:
Quem pueri magnô in gyro vacua atria circum,
Intenti ludo exercent, ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis: non segnior illo
Per medias ædes cursu, mediasque plateas
Volvitur ignis edax summa ad fastigia tecti.
Horrida flammaram rabies, incendia, fumus,
Eripiunt oculis prospectum, & lumina inumbrant.
Nempe suprema dies, & ineluctabile fatum,
Venerat haut paucis Urbis, mihi crede, plateis,
Petrinæ, Rosæ, quæque ad munimina portæ
Nicoleo ducit, quæque & sua debet Apellæ
Nomina, quæ Laniis, & quæ Tibi, gnave Vietor;
Et Cancris, & iis, fabre-qui-faciunt cataphractas:
Quæque ob colluviem fœdam Specus audiit olim,
Parsque fori Veteris, Longæ pars atque Platææ,
Parsque viæ Fratrum, diros consedit in ignes.
Quin extra Nissi portam, quâ tramite lævô
Tenditur, in piceas sunt pleraque versa favillas.

Nec

Nec tamen heic flammæ cessant, obicesque furori
Ponuntur: rapidi glomerant incendia venti,
Ardentesque ferunt stipulas trans mœnia, flammâs
Inque viæ partem, quæ supplicii ad loca ducit,
Carnificis laqueo quos Judicis urna dicavit,
Et Tua, Nicoleos, spargentes tecta Suburbii.
Heic loca de flammis splendescunt plurima latè,
Et cum materiâ cœpère incendia finem,
Ipsaque depressis æquârunt culmina terris.
Heu mihi! Quis tantas sicco cum lumine clades
Explicet? Aut tantos lacrymis æquare labores
Quis queat? Ingenti gemitu miseroque tumultu
Omnia miscentur. Resonat plangoribus Æther
Ultor lamentis, & fœmineo ululatu:
Non secus, ac, sævis cum diruta ab hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyrus, flammæque furentes
Culmina perque hominum sævirent, perque Deorum.
Proh! Quæ tunc Urbis facies: Sacraria Templi
Splendida magnifici, Petro Pauloque sacrati,
Barbara Pyramidum cui vix miracula Memphis
Conferat, aut Ephesus fulgentia templa Dianæ;
Cujus erat fornix sublimibus alta columnis,
Summaque splendebant solidò fastigia cuprò;
Quod nec spernat Opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ, nec qui laudatus ab hoste,
Tanta Syracusii traxit certamina belli,
Atque in quò clari viguère Menecratis artes:
Fatalem cum conspiceres traxisse ruinam?
Dædaleæ artis opus, dicti sacra pulpita Templi,
Magnificò sumtu structum, multòque paratu,
Atque sacra imparibus Syrix compacta cicutis,
Quæ sanctum hoc Templum lustrabat fronte coruscâ,

Et

ec

Et quæ picturis, fulvô rutilabat & aurô,
Et quæ concinuit mixti genus omne melodi,
Infaustos penitus quando confedit in ignes,
Araque in innumeras partes attrita recessit,
Et, quæ grandifono Cœlum clangore replebant,
Campanæ visæ sævis ignescere flammis,
Turribus & validis, summo de culmine lapsis,
Intremuit Nissus, penitusque exterritus omnis
Incola, pulsatisque immugiit terra cavernis?
Sic tristis Trojæ species, Carthaginis altæ,
Sic facies ardentis erat. Sic sæviit ignis:
Quem Phaethontææ nequeunt æquare favillæ,
Quemque neget tibi, Roma, Nero: quô sævior ulla
Pestis & ira Deûm stygiis se haud extulit undis.
O infausta dies, cunctum & memoranda per ævum:
O funesta dies, nigrôque notanda lapillô:
Urbis quâ ferme flammis periére ducentæ
Ædes: quâ nostri flammis exusta CORONA
(O Templum! O Superûm Domus! O sanctissima Sedes!)
GORLICII in cineres ivit: Germania cûi vix,
Cûi vix Hesperius par possidet incola Templum,
Aut croceos habitans Phœbi redeuntis ad Ortus!
Non sic Cannensis memores horrescere cladis
Consvêrunt Solem, non sic timuère Quirites
Lucem: quâ Senonum furiis Urbs alta Quirini
(Infandum scelus!) immissô flagraverat igni:
Sicut GORLICIIUM, fati memor usque, timebit
Lucem: bis senô quæ præit sole Calendas
Aprilis: quâ tantam Urbs est perpessa ruinam.
Quocunque aspicio: Cives sua damna queruntur,
Cunctaque plena metûs, sunt cunctaque plena doloris.
Tristia mœrentes edunt lamenta puellæ,

Fœmi-

Fœmineusque sonat concussâ plangor in Urbe,
Grandævique Senes evellunt vertice canos,
Infortunatos clamantes seque suosque.
Et quem non moveat lacrymandæ injuria fortis;
Cûi non irriguis rorentur fletibus ora;
Hunc ego Caucasæis dicam de rupibus ortum,
Hyrcanæque putem suxisse hunc effera Tigris
Ubera; Marmaricas hunc progenuisse Chimæras.
Ingentes olim cûi copia divite cornu
Fudit opes: illum tristis nunc urget egestas.
Cûique domus fuerat Phrygiis innixa columnis,
Atque satis validis constructa palatia tignis;
Nil præter cineres nunc conspicit, atque ruinas.
Quique humeros nuper pretioso textit amictu:
Vix habet: unde queat rigidum defendere frigus.
Scilicet has nobis peccata dedere ruinas;
Impietas, numerosa velut paliurus in agris,
Crescens, mollities, Saliaris copia mensæ,
Invidia, & Veneris rabies male-fana nefandæ,
Ebrietas, fraudes, sublatis pectoris æstus,
Claustra manus miseris, auris quoque claustra petenti.
Et quisnam tandem scelera explicet omnia fando:
Queis accensa furit Supremi Vindictis ira?
Scilicet æterni cûm nos ad iussa minasque
Numinis altus habet sopor, en, divina flagello
A tergo Nemesis sequitur. Premit ultio noxas
Tunc gravior: cûm procedit tardissima. Namque
Rhinoceros stimulis ut vix pungentibus iras
Colligit, accensas fatiare at nescit easdem:
Sic tandem in fontes Nemesis divina redundans
Majori in pœnam procedit fœnore lenta.
Hinc & nos tanto, DEUS, ô DEUS, impete dignos
B Duxisti,

Duxisti, & tales voluisti expendere pœnas.
Sed tamen, alme Pater, solvemus pectore grates:
Urbis quòd nostræ fortem miseratus iniquam
Majorem partem fartam tectamque benigne
Servâris: dirô caderet ne funditus igni.
Inprimis tanto ferimus pro munere laudes:
Curia quòd servata; quòd & penetralia sacri,
Proxima Cœnobio, Templi, quòd clara Lycei
Limina, ubi variæ doctrinæ femina Pallas
Spargit, Vulcani non sint absunta furore:
Lambere flamma apices quamvis & culmina circum
Pasci visa fiet: paries dum proximus arsit;
Et simul expansis devoti ad sidera palmis,
Omnipotens Genitor, Tua Numina poscimus omnes:
Sis porrò facilis nobis, placidusque juvare
Digneris miseros. Tantos miserate labores
Respice, & exustas ædes melioribus orna
Auspiciis. Quicquid rabies Vulcania diris
Faucibus absumsit, largâ, Bone, reddito dextrâ.
Utque rogam, variô Phœnix quem struxit odore,
Unicus ipse sibi, vitam seniumque perosus,
Se super imponens æstu comburitur, atque
Depositis novus exuviis, nitidusque juventâ
Exoritur, latè fulgens radiantibus alis:
Sic concede, precor, DEUS, ô DEUS optime; Templum
(O Templum! O Superûm Domus! O sanctissima Sedes!)
E squalore suô, veluti reparabilis Ales,
Multò splendidius post tristia fata resurgat!
Serva Conscriptos Patres, DEUS optime: præsta
Illos felices, & ab omni parte beatos,
Nec, nisi grandævos, infer (sic quæsumus,) astris.
Amplos Gymnasii quæso tutare Scholarchas:

Qui

Qui facili semper vultu sumtuque benigno
 Nostras sustentant summâ cum laude Caménas.
 Serva, qui nobis pandunt sacra dogmata Verbi,
 Et nos ignivomi rapiunt ex faucibus Orci.
 Serva cum Musis addictâ pube Magistros:
 Corporis ac mentis validas his suffice vires:
 Ætheris ut læti plantent plantaria terris
 Sudantes, Sophiæque hortos cœlestis amœnos.
 Nobile Palladium, nostrum tutare Lycéum,
 Palladi sacratum, Phœbo Musisque novenis:
 Aonas ad montes via quâ monstratur ephebis,
 Et quâ Gorgoneum properatur tramite ad amnem.
 Firmes, Omnipotens, hæc pulpita Numine dextro
 Insidias contra diras stygiique Tyranni,
 Et, si qui plures hæc imo subruta fundo
 In chaos antiquum verti, aut crepitante cremari
 Exoptent flammâ. Quævis mala mœnibus URBIS
 Arce. Conserva Cives, patriosque penates
 Prosperitate, rogo, clemens multiplice dona.
 Sic laudes, Rex summe, Tuas Tua Turba canemus,
 Et veniente die, pariterque cadente, Caménæ
 In laudes, DEUS alme, Tuas sua pleetra movebunt.



Qui

2/6 1070 67

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

1077

2/6



Q. N. 148,31.

INGENS
INC

GO

ÆDES P

SP

D. PETRI

ANNO 16

ABSUMPTÆ,

RES, AC

CHRIS

GYM

PANEGY

POSTR

LUG

SER Æ.

SI

GODOFR



GORLI



(478)

Y b
1070

M

ITAE

DE,

CINE-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

NA

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

S.

